

ta in eas coniecta, ut mali, antennæ, plutei, latera eorum denique signorum modo sagittis constipatis fixa essent: complures hostium biremes & triremes depresso-
runt, ut reliquæ magno accepto detrimento eas reliquerint. Gal-
li post hæc cum sibi nulla in re defuisse viderentur, co-
gnoscerentque fortunam omnibus nostrorum conatibus ad-
versari, Antonio relicto abierunt. Hostium classis Nau-
pactum se contulit: eodemque antea rex cum magno exer-
citū erat profectus. Is cum oppidum terra marique uno
tempore cinxisset, nullo a nostris auxilio allato, oppida-
ni coacti ditionem faciunt.

*Naupactum
a Turcis oc-
cupatur.*

Hæc ad urbem allata, civium animos, qui longe alium rerum exitum expectabant, magno dolore affecerunt: cumque vulgo legati, reliquique qui separatim aut navi-
bus onerariis imperaverant, aut longis præfuerant, homi-
num sermonibus carperentur, Antonius ante alias, totius populi, quemadmodum imperatoribus qui res minus feliciter tentaverint, plerunque folet accidere, maledictis la-
cerabatur, quod is tantam, tamque speratam atque a diis immortalibus oblatam ac plane traditam augendi imperii facultatem suis e manibus dimisisse videretur: si eam hostium classem Antonius justo prælio superavisset,
prout eum facere potuisse existimabant, omnem Pelopon-
nesum Græciæque oram Eubœamque insulam sub reipu-
blicæ imperium redigere illum nullo negotio potuisse:
nunc cum omnia secus, quam speraverant, evenisse intel-
ligerent, ac Lauredani & Armerii interitus memoriæ hæ-
reret infixus, omnes magno odio in eum ferebantur, acerbisque accusabant. His atque talibus causis Patres mo-
ti, legem in Decemvirum collegio tulerunt, ut Antonio præfectus classis sublegeretur, qui statim consenderet:
ipsi imperium abrogaretur. Et quoniam Thomas Zenus,
qui magni animi, magnæque virtutis esse vir ab omni pla-
ne civitate existimabatur, fisco pecuniam debebat; fisci autem debitoribus antiqua lege magistratus mandari nullus poterat: uti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne esset, quo minus ei navium præfectura quælibet attribui per Senatum pos-

*Antonio
Grimano
classis im-
perium ab-
rogatur.*